

L. Ex his ergo duobus, scilicet, quod reddat Christus aliquid de suo, et quod valor illius, quod reddit superat omne, quod Deus non est, sumitur communis solutio, scilicet, quod licet aliis titulis illæ actiones essent debitæ, non impediunt tamen perfectionem satisfactionis, quia non sunt debitæ alio titulo, et obligatione incompatibili cum debito, et obligatione justitiæ, et aliunde illæ actiones sunt ita infinitæ, quod æquivalent pluribus titulis debitorum, et ad omnes illos sufficiunt. Et primum patet, quia titulus, et obligatio alterius virtutis, non semper est incompatibilis cum obligatione satisfactionis ex justitia, ut patet in exemplis supra allatis. Et fortius instari potest: Si filius emancipatus debeat patri centum, restituendo illa satisfacit justitiæ, et pietati, qua tenetur providere parenti in suis necessitatibus, etiamsi aliunde posset pater habere sustentationem. Et similiter, cui imponitur præceptum superioris, vel censura ut restituat, satisfacit justitiæ, et obedientiæ speciali eadem actione. Et similiter, qui voluisset satisfacere creditori, eadem actione justitiæ, et religioni satisfaceret: non ergo repugnat fieri perfectam satisfactionem ex rebus debitis alio titulo alterius virtutis, non incompatibili cum debito justitiæ, etiamsi debitum sit ex præcepto speciali.

LI. Constat ergo, quod in aliquibus casibus eadem re potest quis satisfacere diversis obligationibus diversarum virtutum, præsertim quando cadunt supra eandem actionem, quia scilicet eadem actio a diversis præcipitur virtutibus pro eodem tempore, vel eisdem circumstantiis, etc. et ita contingit hic, nam satisfactio Christi in quantum talis determinata actio a diversis virtutibus præcipitur, et ita unico actu omnibus satisfacit.

LII. Secundum autem a quo pendet ista solutio, scilicet, quod valor ille satisfactionis est infinitus, et consequenter potest pro pluribus titulis sufficere, ex eo impugnatur a Vazquez, quia potest illa actio secundum totam infinitatem valoris esse debita creditori, si Deus illam alio titulo exigeret, vel sibi reddi præciperet: tunc enim jam non maneret de illa infinitate aliquid suum, quod offerret Deo.

LIII. Sed hoc debebat probare Vazquez, quod tota infinitas ita posset esse debita creditori, vel præcepta, quod omnes alios titulos exhauriret, quod est esse totam, et totaliter debitam; hoc enim fieri non potest, cum illa actio sit infinita in valore, atque adeo nullo debito exhauriri possit, quia omne debitum fundatur in aliquo creato in quantum tale, quia licet posset attingere infinitatem, non tamen omnibus modis attingit. Illa autem infinitas valoris, cum consistat in processione a supposito, non quomodocumque, sed omnibus modis infinito, habet infinitatem moralem omnibus modis; cujus signum est, quod illæ actiones Christi sunt æquales in hac dignitate, quod est esse a tali supposito, cum tamen alia debita, quantumcumque sint infinita (ut peccatum) possint crescere, et minui.

QUINTA CONDITIO.

QUOD CREDITOR ACCEPTARE TENEA- TUR.

LIV. Plura, quæ ad hanc conditionem spectant, pendent ex disputandis in sequenti articulo, an satisfactio Christi sit ex justitia commutativa. Id enim ostendendum est, quomodo ex parte Dei currat obligatio acceptandi id, quod sibi offertur. In præsentem vero solum attinge-

mus punctum difficultatis, quam contra hanc conditionem proponit Vazquez disputatione nona; pendet autem hæc difficultas ex duobus principiis omnino certis apud ipsum.

LV. Primum est, quod licet ad exercendam perfectam justitiam in contractibus, requiratur mutuus consensus, et pactum partium, sicut in emptione, et venditione, et similibus, tamen in solutione debiti, seu satisfactione, ordo justitiæ exigat, ut si satisfactio est perfecta, et rigorosa, si semel exhibetur creditori sine consensu illius, aut pacto, aut acceptanda sit, aut debitum extinguendum. Est enim contra omnem justitiam, ut debitor ad aliquid amplius teneatur, quam ad restitutionem, et satisfactionem æqualem, et perfectam: quod si creditor noluerit illam, injustum est ut debitum remaneat, quia hoc debitum cum sit secundum justitiam, non debet ad voluntatem alterius mensurari, sed juxta commensurationem, et proportionem talis debiti natura sua. Oblata autem sufficienter, et perfecta satisfactio, ex natura rei manet reducta ad æqualitatem, et commensurata natura debiti; non ergo expectanda est voluntas creditoris, sed vel tollenda obligatio debiti, vel acceptanda satisfactio. Et sicut injuria facta est sine voluntate, et consensu personæ læsæ, quia ipsa invita facta est inæqualitas injuriæ; sic reparatio injuriæ independenter a consensu personæ læsæ, fieri debet; et facta tali reparatione debitum extinguatur, sine alia voluntate creditoris.

LVI. Secundum principium est, quod oblata quacumque satisfactione per opera Christi Domini, potuit Deus non acceptare illam, et non extinguere debitum peccati, quia Deus non tenebatur remittere peccatum, sed potuit etiam posita Chri-

sti satisfactione denegare auxilium gratiæ, non solum pro voluntate sua, sed etiam propter peccatum primi parentis; et potuit sine ulla injustitia punire hominem pœna æterna, propter commune peccatum; non ergo tenebatur Deus extinguere debitum peccati, positus operibus Christi, quæ offerebat in nostram satisfactionem. Item, quia si obligaret Deus posita satisfactione Christi illam acceptare, subjiceretur ipsi Christo, quia, qui obligatur alteri, in quantum obligatur, subjicitur ei; debet enim obligationem implere: ergo.

LVII. Ex quibus principiis, aperte colligitur satisfactionem hanc Christi Domini non fuisse de rigore justitiæ, quia ut esset talis requirebatur, quod posita illa non posset alia exigere, vel debitum deberet extinguere independenter a consensu, et pacto creditoris, sed posset Deus posita, aut ablata satisfactione Christi non acceptare illam, et tamen non extinguere debitum pro peccatis; ergo illa non fuit ex toto rigore justitiæ. Hæc in summa est tota difficultas patris Vazquez.

LVIII. Vera, et propria hujus difficultatis solutio consistit in hoc, quod Deum teneri acceptare satisfactionem Christi, non potest verificari absolute, sed ex aliqua suppositione, seu voluntate sua, quæ non fundat solum debitum fidelitatis, sed justitiæ; et hoc sufficit ad rigorem justitiæ. Tres partes habet hæc conclusio. Prima, quod absolute non verificatur Deum teneri acceptare satisfactionem Christi: secunda, quod ex aliqua suppositione tenetur: tertia, quod hoc sufficit ad rigorem, et debitum justitiæ.

LIX. Prima probatur, quia ex parte satisfactionis Christi, illa opera possent non dirigi a Christo ad finem satisfactionis pro homine, sed ad alium finem; atque adeo si ab-

solute fierent, non determinarentur ad hoc, ut pro debito peccati ordinarentur ad satisfaciendum; ergo non relinquatur obligatio in Deo ad acceptandum determinate pro debito peccati in satisfactionem ejus, sed potest acceptare tamquam liberale donum a persona Christi sibi oblatum. Sicut qui laborat in vinea alterius, nullo præcedente pacto, aut consensu partium, non tenetur dominus vineæ de justitia ei reddere mercedem, sed potest acceptare illum laborem tamquam liberaliter sibi factum, et ita solum ex gratitudine tenebitur: alias ex justitia teneretur homo restituere, et dare mercedem pro omnibus actibus pretio æstimabilibus, qui erga se fiunt, quamdiu non explicatur animus quo fiat; quod certe est contra omnem praxim, et regulas morales.

LX. Ex hac ergo parte necesse est, quod concurrat voluntas Christi Domini determinans suas actiones ad satisfaciendum pro debito peccati, et voluntas etiam creditoris approbans talem determinationem, et voluntatem satisfaciendi, quæ approbatio non est pactum favorabile supplens valorem actus, sed applicans valorem de se indifferentem ad diversos fines, ut determinetur ad satisfaciendum. Ex parte autem ipsius Dei, cum sit absolutus Dominus, et possit quacumque satisfactione oblata, tamquam supremus Dominus excludere peccatorem a gratia, et fine supernaturali, et punire ipsum, et annihilare, sine hoc quod injustitiam committat circa creaturam suam, cum jure creatoris possit omnia illa; inde est quod requiritur pactum, seu voluntas non utendi hoc supremo dominio, sed tantum volendi procedere secundum regulas justitiæ, et ut justus judex exigens, volensque sibi satisfieri, et ad æqualitatem reducere injuriam factam.

LXI. Secunda vero pars probatur, quia facta hac suppositione, quod velit sibi satisfieri, et tamquam judex facere justitiam, tenetur Deus judicare illam satisfactionem Christi esse talem, quod major non potest exigi secundum justitiam; ergo et judicare debitum extinctum in ratione injuriæ, et obligationis reddendi aliquid ex vi talis satisfactionis. Patet consequentia, quia tenetur judicare, quod debitor non amplius tenetur exhibere, quam talem satisfactionem; ergo tenetur judicare, quod debitor ex vi talis satisfactionis liberatur perfecte a debito: ergo etiam quod offerens talem satisfactionem non est amplius injuriosus, neque inæqualis personæ læsæ, sed æqualitatem, et justitiam faciens, atque adeo sine obligatione ulteriori manens.

LXII. Antecedens vero manifestum est. Illa satisfactio, (ut supponimus) ex natura sua intrinsece est adæquata omnino cum debito; ergo Deus procedens ut judex, tenetur judicare illam esse justitiam, quia ita est in veritate; et consequenter si adæquat debitum in ratione injuriæ extinguit illud. Quod si noluerit ut creditor acceptare illud pretium, vel satisfactionem, nihilominus debitum in ratione injuriæ manet extinctum, quia vel creditor non vult acceptare satisfactionem, quia non est ea contentus; vel quia, etsi sit contentus, tamen non vult illam recipere, etiamsi sibi exhibeatur. Primum esse non potest, quia si Deus, ut judex, tenetur judicare illam satisfactionem esse adæquatam injuriæ, tenetur quoque ut creditor idem judicare; atque adeo rationabiliter esse illa contentus, nec meliorem exigere.

LXIII. Secundum vero nihil ad rem spectat, quia, etsi non velit creditor de facto recipere satisfactionem, judex tamen tenetur judicare,

quod debitor est liber ab obligatione si illam exhibet; et hoc sufficit ut debitum sit extinctum; nec enim est aliud extingui debitum, quam non obligari amplius debitorem. Si ergo Deus, ut justus judex procedit, tenetur judicare, quod est liber ab obligatione debitor, et consequenter debitum est extinctum, quamvis Deus sine injustitia posset amplius punire illum debitorem, et denegare ei dona sua, procedendo ut supremus Dominus, non tamen judicare illum, ut obligatum ex vi injuriæ, quia hoc esset judicare contra veritatem. Sicut posset hominem in natura integra, vel puris naturalibus creatum punire, et privare donis suis, non tamen judicare illum ut obligatum debito injuriæ.

LXIV. Tertia denique pars probatur, quia ut servetur rigor justitiæ, sufficit quod servetur ille rigor, quem judex justus secundum veritatem rei tenetur judicare, reddendo unicuique quod suum est; si ergo Deus procedendo ut judex tenetur judicare illam satisfactionem esse adæquatam debito, et quod non potest major exigi, sed illa debet esse contentus, hoc ipso quod velit sibi satisfieri, consequenter tenetur ex rigore juris judicare debitorem ad nihil amplius teneri.

LXV. Nec obstat dicere, quod potest Deus exigere satisfactionem ab ipso, qui vere est debitor, et non admittere, quod fiat ab alio, scilicet a Christo loco debitoris: hoc enim nihil est; tum, quia licet Christus in se non sit debitor, est tamen caput omnium debitorum, seu totius naturæ humanæ; unde ut tale caput de jure satisfacit, et ipsa natura humana satisfacit per Christum, tamquam per aliquid sui, et sic verificatur secundum moralem æstimationem, quod debitor satisfacit; tum etiam, quia dato, quod ad hoc requireretur pactum, et consensus

creditoris, ut vellet satisfactionem unius pro alio acceptare, nihil minuit de rigore justitiæ, quia non est extra naturalem, et communem modum satisfactionis, adhuc stando intra limites puræ justitiæ, ut unus satisfaciat pro alio, quando alius est impotens.

LXVI. Quod enim non possit obligari tunc creditor ad absolute acceptandum, non est ex defectu satisfactionis, et per se, sed ex impotentia debitoris, et per accidens: rigor autem justitiæ non diminuitur ex his, quæ sunt per accidens. Et sicut ad redimendum captivum requiritur consensus domini, quantumcumque servus offerat æquale pretium, quia redemptio fundatur in contractu, quasi emptionis et venditionis; sic Christus ut redemptor consensum supponit, ut Deus acceptet pretium pro hoc captivo, atque adeo etiam ut satisfactor pro alieno debito, id supponit: per accidens tamen se habet in satisfactione; per se autem in formalitate redemptoris.

LXVII. Ad fundamentum Vazquez ex dictis patet, quod Deus obligatur acceptare satisfactionem Christi ex suppositione quod Christus in finem satisfaciendi sua opera dirigat, et sic Deus acceptet, et ex suppositione quod procedat ut justus judex, et non ut supremus Dominus. Adde etiam ex suppositione, quod velit acceptare satisfactionem unius pro alio, et impotentiam proprii debitoris. Istæ tamen suppositiones nihil minuunt de rigore justitiæ proprie dictæ, ut constat; nec enim suppositiones istæ fundantur in sola, et nuda promissione Dei, ratione cujus ipse teneatur implere promissum suum, quod est ex fidelitate, sed fundantur in contractu, et promissione onerosa, quæ ad pactum pertinet, et per illum applicatur debitæ materiæ ad ordinem justitiæ servandum.

LXVIII. Et licet posset Deus, posi-

ta satisfactione Christi, modo explicato, negare donum gratiæ, et auxilium, tamen peccatum in ratione morali debiti, et injuriæ, applicata satisfactione Christi, maneret extinctum licet in ratione maculæ, quantum ad physicam privationem gratiæ maneret, et ita non esset homo intrinsece renovatus non infusa gratia, licet esset extencta ratio injuriæ. Posset etiam Deus tunc punire hominem pœna æterna non propter debitum peccati in ratione injuriæ, sed vel tamquam supremus Dominus, vel propter reatum pœnæ, si non tolleretur per meritum Christi, sed tantum moralis ratio injuriæ, sicut modo etiam remissa culpa, et infusa gratia solet manere reatus pœnæ temporalis. Denique, neque tunc maneret Deus subjectus Christo absolute, neque obligatus, aut debitor, sed sibi ex ratione suæ rectitudinis, et justitiæ, factis illis suppositionibus debitor diceretur, sicut facto pacto et contractu redditur debitor. Et hoc sensu etiam dicit Anselmus, libro II cur Deus homo, capite XIX: « Quod esset injustus Deus, si Filio non retribuere, facta scilicet suppositione, » et voluntate Dei, sicut est explicatum a nobis, quod non ibi negat, sed supponit D. Anselmus.

ARTICULUS III.

Utrum ex virtute justitiæ commutativæ procedat satisfactio Christi?

I. Hucusque explicavimus conditiones requisitas ad rigorem justitiæ in satisfactione Christi, quantum est ex parte ipsius satisfactionis. Restat videre principium a quo fuit elicitata talis satisfactio, et ad quam virtutem pertinuerit illam exhibere; nec enim virtus quæ recompensationem alicujus debiti exhibet præ-

stat pretium, seu valorem in quo fit recompensatio; sicut nec liberalitas præstat pecuniam, quam erogat, sed supponit illam; et virtus solum inclinatur ad utendum tali materia, et faciendum recompensationem. Et quia ubi est diversum debitum variatur, quia est diversa inclinatio (ut patet in redditione debiti religionis vel observantiæ, aut justitiæ propriæ) ideo quando inquirimus de virtute a qua elicitata fuit satisfactio Christi, idem est quod quærere quod genus debiti in hac satisfactione exhibenda servatum fuerit: an genus debiti moralis, vel legalis; an justitiæ commutativæ, vel alterius speciei.

II. Varie in hac parte divisi sunt theologii, et omnes fere opiniones in tres classes distribuuntur. Quidam enim satisfactioni Christi non assignant determinatam virtutem, qui existimant a pluribus virtutibus formaliter processisse, scilicet a charitate, humilitate, obedientia, patientia, etc. quæ a charitate, et religione dirigebantur, et imperabantur. Ita magister Vincentius pagina 274, et pater Vazquez hic disp. VII, cap. VI. Alii a pluribus virtutibus, eminentialiter processisse, quia existimant esse in Christo quamdam justitiam, quæ eminenter sit commutativa, distributiva, et legalis, sicut in Deo attributum justitiæ omnem justitiam includit, et ab illa dicunt procedere satisfactionem Christi. Secunda opinio docet procedere a virtute religionis, quatenus per satisfactionem Deo exhibuit Christus honorem, et cultum, et specialiter se in sacrificium obtulit, quod est actus religionis: ex parte autem Dei fuit acceptata satisfactio a virtute gratitudinis: Lorea hic disp. VIII, num. XIV.

III. Tertia opinio docet processisse a justitia commutativa, et hi etiam sunt divisi. Nam quidam dicunt fuisse ab habitu justitiæ commuta-

tivæ speciei differenti a nostra justitia, cujus solum anima Christi est capax, quia solus ipse potest servare hanc justitiam in ordine ad Deum. Ita Medina in præsentibus dubio, tertia responsione ad secundum, et sequitur Alvarez in præsentibus disputatione IV, et conclusionem IV, et solutionem ad sextum; Nazarius controversia prima, tertia parte.

IV. Alii ponunt habitum justitiæ ad Deum quam dicunt esse specialem, et distinctam a nostra justitia commutativa, solum ex eo, quod respicit jus altioris ordinis: sicut hac ratione distinguitur fidelitas, qua implemus promissionem Deo factam, et qua hominibus, habetque pro objecto servare jus divinum, ac si læsum fuerit reparare: inveniturque in omnibus hominibus ista distincta virtus a commutativa, et reliquis, quia habet distinctam honestatem, et materiam, atque ita ab illa processit satisfactio Christi, quæ perfecte fuit reparativa divini juris. Ita Suarez disp. IV, sect. V.

V. Denique alii existimant simpliciter processisse satisfactionem Christi a justitia commutativa infusa, quæ secundum suam physicam speciem aliis hominibus communis est, et solum in Christo habet distinctam dignitatem moralem, sicut et gratia habitualis, et aliæ virtutes ab ea dimanantes. Sic Cabrera hic disp. VIII, conclusionem II et III.

VI. Nihilominus resolutorie dico, satisfactionem Christi elicitam esse a virtute justitiæ commutativæ, quæ specialiter, et regulariter invenitur in Christo, non autem in homine puro; ex parte autem Dei acceptantis non correspondet illi formalis justitia commutativa, sed eminentialis. Primam partem hujus conclusionis sequitur cum Medina, Alvarez, et Nazario relatis, et est expressa Cajetani in commentariis ad secundam epistolam ad Corinthios,

cap. V in fine ubi dicit: « Quod passio innocentis pro peccatoribus justitia est satisfactoria, species est justitiæ commutativæ pro injuria solventis pœnam. »

VII. Tamen pro ejus clariori intelligentia est advertendum, quod in nobis ponitur virtus pœnitentiæ ad satisfaciendum Deo, distincta a religione, et a reliquis virtutibus, quæ erga Deum versantur, tamquam pars quædam potentialis justitiæ, id est, tamquam imperfecta quædam justitiæ, quia sicut religio reddit Deo debitum cultum, et ex hac parte habet rationem justitiæ, quæ respicit debitum ad alterum; quia tamen non reddit illud ad æqualitatem, deficit a propria, et perfecta ratione justitiæ, et ita vocatur pars potentialis ejus; ita pœnitentia respicit debitam recompensam pro peccatis faciendam Deo, et ex hac parte habet rationem justitiæ; quia tamen ad æqualitatem non recompensat, ideo est imperfecta justitia, et dicitur pars potentialis ejus, ut constat ex S. Thoma III parte, quæst. LXXXV, artic. III. Et licet Cajetanus sentiat non distingui pœnitentiam a religione, quia recompensa satisfactionis est exhibitio honoris, tamen expresse a D. Thoma distinguitur in IV, distinct. XIV, quæst. I, quæstionum V, quia religio respicit debitum in quantum recepit homo aliquid a Deo per creationem; pœnitentia autem respicit debitum quatenus abstulit aliquid a Deo per peccatum, et offensam. Reducere autem ad æqualitatem debitum ex illatione injuriæ, vel debitum ex acceptatione beneficii, distinctam realitatem, et formalem rationem inducit, sicut etiam inter homines videmus. Hoc ergo supponimus de materia pœnitentiæ, non enim hic tractandum est.

VIII. Quia ergo in pœnitentia invenimus aliquid tenens se ex parte